



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De essentia, & præceptis charitatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**

9. Quid est Deum tentare? Se quemuis exponere sine necessitate Martyrio. Defensionem ex exitalibus, aut periculosis mediis procurare. Maleficiis aut incantationibus spem adhibere. *innocentia*

10. Mortalis ne, an venialis Dei tentatio? Deum tentare etiam tacite in gravi materia, aut alio mediante, aut immediate, sine speciali inspiratione, aut reuelatione, mortis discrimini se exponendo sine necessitate, vel gravi in ægritudine ordinaria medicamina respuendo, mortale est; veniale autem, quando Deus in leui materia, aut sine plena deliberatione tentatur.

11. Quodnam peccatum est in creatura spem collocare? Crimen est contra spei virtutem, nisi simul in Deo ac creatura spes collocetur, primariò quidem in Deo, secundariò autem in creatura quatenus simul confert ad beatitudinem consequendam.

12. Differt quis pœnitentiam usque ad mortem spe venia obrinenda: peccat ne contra præceptum spei? Potius peccat contra præceptum pœnitentiæ; quia hic tantùm differt confessionem.

13. Fit alicui reuelatio damnationis sue: debet amplius sperare? Imò desperare sine mortali culpa potest, modò damnatio non reducatur ab eo in omnipotentia, vel misericordia Dei defectum; quia impossibile est sperare id quod non est possibile, nempe allocationem beatitudinis supposita certa damnationis reuelatione.



## EXAMEN IV.

Circa materiam de Charitate ad Deum.

### CAPVT PRIMVM.

De essentia, & Præceptis Charitatis.

1.  Vid est Charitas? Virtus Theologica à Deo infusa, qua Deum propter se ipsum, & suam bonitatem super omnia diligimus; & reliqua omnia propter Deum. Datur enim amicitia supernaturalis inter Deum & hominem, fundata quidem in quadam veluti hominis eleuati per gratiam æqualitate.

P p 4

2. Est

2. *Est ne Charitas virtutum omnium perfectissima?* Ita equidem; quia per se proximè & adæquatè Deum contingit.

3. *Quotuplex Charitas?* Duplex est, erga Deum & erga proximum. Hac quidem quinto in examine euoluatur; de illa in præsentia.

4. *Quommodo in hac vita Charitas augetur?* Per actus ex charitate elicitos, ac imperatos; quia per bona opera propria, aliarumque virtutum in gratia gesta augetur; & per actus intensos, (imò, secundum Suarij opinionem, remissionem) accepit incrementum.

5. *Minuitur ne Charitas per culpa venialis multiplicationem?* Posset Deus facere, vt per peccata venialia minueretur quia nec repugnat, nec contra iustitiam esset. At de facto minimè per venialia remittitur. *Num per accidens ob veniale minuatur?* Non repugnat; peccatum enim veniale oblati potest, ne Deus plus charitatis animo impendat. *Amittitur ne, an remittitur per culpam lethalem?* Omnino amittitur certum est.

6. *Ad quam ex charitatis præcepto tenemur?* Debemus Deum super omnia diligere saltem appetitiuè, cuiuslibet dilectioni hanc præferendo.

7. *Potest ne præceptum charitatis impleri ab ijs qui in peccato mortali existunt?* Minimè; qui præcipuè est supernaturale, & requirit hominem in gratia existentem. Neque enim qui creaturæ hæret in mortali constitutus Deum super omnia diligere potest.

8. *Quoniam tempore per se obligat præceptum charitatis ad Deum?* Mitto sententiam *Azori* octo tempora assignantis; & *Sanchez* vnicum. Sequor autem *Henriquez* tria ad præceptum hoc tempora præscribentem. Primum quidem est morale principium vsus rationis. Secundum, mortis articulus. Tertium tempus vitæ intermedium saltem singulis quinquenniis. Adde ex *Filliucio* probabile esse non quinquenniis singulis rigorosè obligare, sed sapientum arbitrio.

9. *Quoniam autem tempore idem charitatis præceptum per accidens obligat?* Primò quidem in mortis spiritualis periculo, quod aliter vitari non possit. Deinde ad vsum Sacramentorum passiuum, cum Confessarij copia non adest: & actiuum, cum non vult Sacerdos confiteri, quia non obligat confessionis præceptum. 3. *Quoniam obligat contritio.*

4. *Quando operi extraordinario Martyrio scilicet opera impenditur.*